

7. Nam (*alioqui*) mysterium (*ejus*) jam efficax est iniquitatis: dum modo, qui detinet nunc, tandem è medio fit (*sublatus.*)

8. Tunc enim revelabitur iniquus, quem Dominus abolebit Spiritu oris sui, & abrogabit apparitione adventus sui.

9. Cujus adventus est juxta operationem Satanæ in omni virtute & signis, & miraculis mendacii.

10. Et cum omni fraude injustitiæ in iis, qui pereunt.

ANTITHESIS.

1. Pontificiorum.

2. Hugonis Grotii & aliorum, qui per Antichristum Cajum Caligulam volunt intelligendum, cum tamen hic vixerit antetempora Apostolorum, qui de futurô, non præteritô, sunt locuti.

ARTICULUS XXII.

DE

MAGISTRATU POLITICO.

APHORISMUS I.

Descriptio
Magistra-
tus Poli-
tici.

Magistratus Politicus est potestas à DEO instituta & ordinata ferendi leges, cognoscendi, præmiandi & puniendi in negotiis civilibus & criminalibus omnium subditorum, & defendendi eos adversus injustam vim, ad conservationem veri cultus divini & honesti ordinis in Republicâ.

EXPLICATIO.

I. Magistratus Politicus.

1. Consideratur hic *in abstracto*, quatenus est potestas &c. non *in concreto*, prout cum hac vel illâ personâ concrevit.

2. In abstracto tum *ratione subjecti*, tum *ratione formæ regiminis*. Posterior an Monarchica esse debeat, est juris gentium, ipsa potestas est juris divini.

3. Politicus dicitur, ut ministerio Ecclesiastico contradistingatur.

II. Pote-